

S p e r g u l a l a r i c i n a

r e s t i t u t a

a

Fr. de Paula de Schrank.

S p e r g u l a l a r i c i n a

r e s t i t u t a

a

Fr. de Paula de Schrank.

Spergulam laricinam, quam Linnaeus a Gmelino habuit, in Siberia lectam, quamque Wulfenius postea in Carinthia ad pedem Alpīs Saualpe et sub Isolae ponte ad Leontium legit, Willdenowius ad *Spergulam subulatam* Swartzii retulit, errorisque in suspicionem adducit accuratissimum Wulfenium, quod corollam calyce majorem dicat, quae in hac specie, *Spergula subulata*, calyce minor est.

Movere dubium debuisset vel ipsa celeberrimi viri assertio, petala calyce tantillo majora dicentis, et repugnat habitus plantae totius, qui mirum quantum a *Sp. subulata* recedit, qualem Swartzius *Actis Academiae Holmiensis* describit depingitque, et qualem nos ipsi in Herbario diligentissimi Nattereri, Benedictini quondam ad S. Magni

juxta Pedes Alpium (Füssen) vidimus; multo propius accedit ad Sp. nodosam, a qua tamen et pube suarum partium, et forma foliorum longius recedit.

Verum quo dubium omne tollatur, novam descriptionem ad naturam, et juxta eum ordinem, quem sibi Swartzius in descriptione Spergulae subulatae praescipsit, adornabo, ut eo facilior sit amborum plantarum comparatio. Adjungam tamen huic descriptioni commentarium quemdam perpetuum, qui varia moneat.

Radix fusiformi-filiformis, alba, parum ramosa, adpersa hinc inde radiculis fibrillosis.

Caules numerosi ex eadem radice, quorum exteriores subscendentes, reliqui recti sunt, digitum indicem circiter longi, filiformes, ramosuli: ramis nempe circiter tribus ad quinque.

* Crevit plantula in sabulo fluviatili inter copiosos lapillos a torrente flumine advectos; ramosa tamen evasit, etsi multo minor, quam qualem Wulfenius in solo laetiori observavit. Quod caules laterales non recti surgant, sed arcum quemdam formant, id non ex ipsa plantae natura fieri reor, sed quod lateralibus his cauliculis fasciculus foliorum radicalium, qui centrum cespituli occupat, lumen eripiat, quo fit, ut qua possunt via obliqua, lumen quaerant, et invento gaudeant.

Folia uniformia, semisubulata, seu superiore pagina plana, inferiore convexa, terminata mucrone fere spinoso: radicalia in cespitem collecta, erecta tamen, caulina opposita, eo breviora, quo altius cauli adsident, omnia basi sua communi totum cauliculum amplexantia seu connata.

* Ex omnibus axillis fasciculus foliorum minimorum oritur, qui proprie decurtatus ramulus est, plane ut in *Spergula nodosa*, cui quoad hanc formam individuum, quod vidimus, simillimum est. — Margo foliorum nullus membranaceus, neq̄ ad basin quidem, qua caulem amplexantur.

Pedunculi terminales, erecti, solitarii.

* Pedunculi vix ultra 2''' alti, saepe breviores, sed hoc forte solo macro tribuendum.

Flores parvi, erecti.

* Floris, dum nondum manifeste apertus est, forma ovata, altitudo vix 1'''.

Calyx persistens, pentaphyllus: foliolis ovatis, acutis, concavis, levissime membranaceo-marginatis.

Petala 5, obovata, nivea, calyce $\frac{1}{4}$ parte majora.

Stamina. Filamenta 40, petalis dimidio minora, alba. Antherae ovatae.

Pistillum. Ovarium ovatum. Styli quinque, recurvi, albi. Stigmata, ut in genere, rima lateralis, secundum totam suam longitudinem globulis suctoriis obsita.

Fructus. Capsula oblonga, unilocularis, quinquevalvis. Semina numerosa, subreniformia, seriatim tuberculata, nigra.

Pubes. Pili resiniferi copiosi, patentes, omnes floris partes, ovarium ipsum obsidentes, in foliis latera ciliorum more stipantes, sed denique fugaces, in caule constantiores.

* Elegans est in plantis Alsinoideis et Caryophyllaceis stigmatum structura Nullibi styli apex pertusus est; in omnibus speciebus stylosum tubulus vesiculis seu glandulis succiferis confertim repletus est; sed rima lateralis variae formae hiat, quae globulis pollinis accessum ad has glandulas concedit, progressum ulteriorem negat. Quo confirmantur ea, quae in Epistolis ad Cl. Nauium docui.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Abhandlungen der Bayerischen Akademie der Wissenschaften - Mathematisch-naturwissenschaftliche Klasse](#)

Jahr/Year: 1832

Band/Volume: [1](#)

Autor(en)/Author(s): Schrank Paula

Artikel/Article: [Spergula laricina restituta. 171-176](#)